



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER AUGUSTISSIMA TEMPLUM CATHEDRALE**
DIOECESIS MAZARIENSIS
AD HONOREM BASILICARUM MINORUM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter augustissima Siciliae
Insulae tempia cathedrale illud annumerandum est, quod, antiquitate venerabile, arte pulcherrimum, religione
sanctissimum, Mazarae surgit, Domini Nostri Iesu Christi Transfigurationi sacrum: mole enim, elegantia, monumentis,
Reliquiis longe praestans, praestantius faciunt intemerata christifidelium fides ac sancta religio. Quare, cum Venerabilis
Frater Constantinus Trapani, Episcopus Mazariensis, iam ab hic Apostolica Sede suo suorumque cleri ac fidelium
nomine petierit ut sacra illa aedes ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, Nos, tum ad ipsius templi laudes
respicientes, tum ad fidelium pietatem, quam per hoc ali et accresci confidimus, tum ad Christi Salvatoris gloriam, quae
inde manabit, admotae expostulationi libenti animo concedimus. Iis ergo probatis, quae Sacra Congregatio pro
Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis facultatibus, hic de re statuit, templum cathedrale Mazariense,
Transfigurationi D.N.I.C. dicatum, Basilicis Minoribus auctoritate Nostra accensemus, datis nempe iuribus quae ad
tempia huiusmodi pertinent, cum Liturgicis concessionibus rite competentibus, modo ea servita sint, quae per Decretum
«De Titulo Basilicae Minoris» poscit, die VI mensis Iunii, anno MDCCCCLXVIII factum. Contraries nihil obstantibus. Quod
Dei benignitate et gratia bonum, faustum fortunatumque sit. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die*
XXVIII mensis Maii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis*
Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana
